

De Herodoti ratione theologica atque ethica.

Ὅταν γὰρ εἴθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἶσι νόμος, οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν κ. τ. λ.

Paul. ad Rom. 2, 14 sq. Acta Apostol. 17, 23, 27.

III.

Cum mihi iterum prooemii ad annales hujus Gymnasii scribendi munus esset mandatum, haud ineptum mihi visum est disputationem, quam ante aliquot annos de Herodoti ratione theologica atque ethica institui, ne inchoata et quasi mutila relinqueretur, iterum instituere atque parte altera addita aliquatenus saltem absolvere. Ac primum quidem, postquam priore parte de Herodoti vita ejusque aetatis studiis disserui, nunc mihi exponendum esse videtur, quid de diis, de heroibus, de fato ille senserit. Herodotus, cum sentiat, inter divinas atque humanas res magnum intercedere discrimen hominesque propter suam humilitatem atque imbecillitatem neque de deorum forma aut specie neque de eorum nominibus quicquam certi scire posse (II 3 et 4. I 158 sq. II 64. VII 46. 203. IX 65), illa et ficta et inventa esse judicat ea aetate, qua fabulae multae excogitatae reciperentur atque ab aliis excolerentur; a poetis maxime ea omnia celebrata esse, ut probarentur. Refert enim II 52 et 53 haec: Pelasgi deos, qui nondum viribus aut nominibus essent discreti et distincti, sine nominibus venerabantur. Deos autem eos appellabant eo, quod omnes res ordine posuissent ac distribuissent. Nomina deorum ab Aegyptiis acceperunt, a Pelasgis Graeci, qui multis post annis ab Homero et Hesiodo de figuris deorum edocti sunt atque num semper fuissent et unde orti essent; nam illi poetae etiam nomina, munera, honores singulis diis tribuerunt, ut ea ab iis tradita et quasi condita disciplina de diis in posterum apud Graecos obtineret. Etiam aliis locis res a poetis expressas delectationis et suavitatis causa statuit fictas esse, quibus neque auctoritatem neque fidem adjunxit, velut II 116 et 120 haec contendit: Helenam, si in Trojae urbis muris fuisset, non dubitat, quin Trojani omnibus belli calamitatibus

pressi magnaue suorum strage afflicti Graecis reddituri fuerint, sive Alexander voluisset, sive non voluisset. Etiam II 82 refert: Cui deorum quisque mensis, quisque dies sacer esset, Aegyptii invenerunt et quae cuique certo quodam die nato fata futura essent. Quibus rebus etiam Graeci utebantur, qui in arte poetica versati sunt. Vide etiam II 23, III 115. Cum igitur neget, deos ad similitudinem hominum confingendos aut ad hominum modum et rationem conformandos esse, vehementissime invehitur I 60 in Athenienses, quod, cum non barbaris solum, sed etiam reliquis Graecis sapientia praestare dicerentur, feminam quandam pulchram et ornatam in speciem deae assimilatae pro Minerva habuissent, quae Pisistratum in urbem reduceret. (Vide etiam VII 56.) Eadem ex causa Persae se ei maxime probaverunt I 131, quod summum numen divinum non imaginibus arte humana factis colebant, quippe qui deos humanae naturae (*ἀνθρωποφύεας*) esse negarent. Praeterea cum his comparandi sunt loci IV 59 et II 142 sqq. quo auctoribus aegyptiis sacerdotibus nullum sub omnibus regibus deum humana specie praeditum (*ἀνθρωποειδέα*) existisse refert. Denique ubicunque quid humani de diis narratur, aut negat se id credere, veluti I 182 deum ipsum Babylone templum intrare ibique in lecto requiescere solere, aut relata tantum se referre, ut veritatem in medio relinquat, cum aliis locis confirmat, tum his I 122. II 44. 50. 53. 57. 122. 123. III 7. 16. 111. IV 179. V 86. VI 80. VII 129. 152 *ἐγὼ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαι γέ μὲν οὐ παντάπασιν ὀφείλω, καὶ μοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐχέτω ἐς πάντα τὸν λόγον.* Quod vero uno loco II 24 solem ipse deum appellat, hic aut ad popularem opinionem se accommodasse nobis putandus est, ut voce iis magis solita usus sit, aut illud vocabulum posuisse translatum atque immutatum, ut praeclaram quandam atque caelestem rem significaret. Nam deos corporeos aut aspectabiles aut tractabiles esse, id ei persuasum non est. Neque enim VI 117 corporeum deum fuisse commemorat, qui Epizelo Atheniensi in pugna Marathonica in adspectum venisset, sed *Θωῶμα* quoddam vel *φάσμα* eo loco refert, quae multa narrantur deque quibus postea dicemus. Etiam VI 105 memoriae prodidit, quae Phidippides ille cursor de Pane oculis suis objecto narrasset, idque verum esse Athenienses credidisse addit. Atque VI 69 non dicit a se ipso, sed ab Aristone conspectum Astrabacum heroem pro miraculo habitum esse. Similis est ratio ostenti, quod de Apolline atque Aristeae Proconnesio IV 15 narratur.

Herodotum fabulas, quas antiquitas receperat, atque deos ad hominum similitudinem confictos respuisse, etiam ex certa illa quam de heroibus habuit sententia cognosci licet. Cum enim ex diis cum hominibus commixtis vulgo crederentur heroes esse progenerati, ut omnes fere reges et principes, denique omnes fere antiquiores gentes originem suam a diis repeterent, Herodotus non probat solum, heroibus nihil sacri cultus tributum esse ab Aegyptiis (II 50. 91.), et Hecataeum, qui generis sui originem recensisset eamque ad deum tamquam progenitorem decimum sextum retulisset derisum esse ab aegyptiis sacerdotibus negantibus quemquam hominem a deo natum esse (II 143. IV 5.), sed iis etiam locis, quibus ipse de graecis heroibus loquitur, humanam tantum eorum originem commemorat, ut Herculem Amphitryonis et Alcmenae filium appellet (II 43. 145. 146.), Perseum Danaes filium*), Dionysium Semelae, Panem Penelopae

*) VI 53 *Θεῶν ἀπέωντος* dei ratione non habita. Quibus verbis Herodoti ipsius eam fuisse sententiam manifestum est, in origine heroum, qui ferrentur, deducendā deos excludendos esse. Neque etiam dubium est, quin Aegyptiis assensus sit affirmantibus, nullum diis cum hominibus commercium fuisse II 144 *οὐκ ἔστιν* (B² P. d. z. Athenagoras de legat. 24. alii *οὐκ ἔστιν*) *ἄμα τοῖσι ἀνθρώποισι.*

(II 146.); neque etiam dubitat contendere illos omnes fuisse homines II 43—45. Ut igitur non mirum est, si per naturam rerum fieri potuisse negat, ut Hercules tantarum virium fuisset, ut solus, ut mortalis tot millia hominum occidere potuisset (II 45), ita IV 8—11 postpositis quibusdam fabulis de Hercule traditis aperte profitetur, sibi eorum rationem magis placere, qui de Seytharum rebus explicantes a fabulis ad facta venirent. Hominum igitur in numero heroes habuit, sed eorum hominum, qui omnibus virtutibus praediti vel mortui, alii aliis locis culti, apud posteros multum valerent, cum reliquos homines ipsorum memores ad similia facta perficienda suaque ipsorum vestigia legenda provocarent, quo patriae maximae essent saluti. Praeterea mortuos, praeclaros imprimis viros, eam ipsam, sub qua jacerent, terram conservare custodesque hominum ac depulsores malorum fieri, vetus erat superstitio, ad quam etiam Manium Larumque religiones spectabant. I 65—68, 46, 49, 52, 187 sqq. II 44, 91, V 65, 67, 80, 89, VI 35, 69, 78, 80, VIII 17, 36, 38 sq. 64, 83, 109, 121, 134, 143, IX 116.

Herodotus, quanquam II 145, 146 de diis quibusdam, qui certis temporibus nati esse dicerentur, ita retulit, ut ipse illis fabulis minorem haberet fidem, tamen nihil certi statuit, utrum dii mortales an immortales aut aeterni essent, neque vero, ut opinio ejus de natura hominum et de numine divino tulit, statuere potuit. Jam priore hujus disputationis parte (p. 3 et 8) de emendatione opinionum vulgi et conversione illis temporibus e philosophorum aliorumque placitis profecta disserui, atque etiam Herodoto facere non possumus quin opinemur persuasum fuisse, quamvis multa de fide atque auctoritate fabularum detracta essent, religionem tamen non tolli. Nam summum aliquod numen divinum esse ex ejus operibus cognoscit, quae non solum in rerum natura conspiciantur, sed etiam in animis hominum, in omnibus humanis rebus et publicis et privatis, in miraculis, ostentis, somniis, oraculis, vaticiniis appareant. Quanquam id constat, tamen quaerendum esse videtur, utrum complures deos dominari putaverit, an in illis omnibus rebus unum tantum regnare numen, quod certo nomine non appellet neque appellare possit, sed in universum tantum τὸ θεῖον, τὸ δαιμόνιον, θεός (IX 16), πεπρωμένη, μοῖρα (I 91), τὸ χρεῶν (VII 17) etc. Atque omnibus diligentissime perpensis facile adducor, ut existimem, Herodotum ad eam opinionem propensiolem fuisse, qua illud numen solum esse crederet, e quo omnia penderent, ut ille quibus locis singulos deos commemorat, aut relata tantum referre, aut eos summi numinis quasi administratos habere, aut vulgi opiniones verens ne a vulgari quidem loquendi ratione discedere videatur. Quamvis enim magna sit ejus pietas atque emendatior de summo numine persuasio, tamen tam facilem justumque in aliorum de rebus divinis opinionibus referendis judicandisque se praebet tantaque cum verecundia de iis loquitur, ut nunquam eas irriserit atque adeo III 38 Cambyses existimaverit vehementer insanisse, quod Aegyptiorum sacris violatis religiosos ritus habuisset ludibrio. Etiam illud meam opinionem, quam modo dixi, adjuvare videtur, quod Herodotus non iis tantum locis, quibus quid ex sui animi sententia exponit, quos locos, cum innumerabiles sint, omnes percensere longum est, his tantum utitur vocabulis τοῦ θεῖου, θεοῦ etc., quibus universe numinis divini vis ac potestas indicatur, sed etiam saepius, ubi relata refert, vel invitatus atque inscius, quasi ex sua et opinione et consuetudine loquatur, ea ponit. Cujus rei testes sunt cum alii tum hi loci IX 16, I 31. Cum Argivi sollemne et statum sacrificium Junoni facerent et Cleobis et Biton matrem, quae erat ejus sacerdos, ipsi jugum subeuntes in fanum curru duxissent, hi, matre a dea precata, ut filii praemium daret pro pietate maximum, somno se dederunt et mane mortui inventi sunt, qua re ὁ θεός i. e. numen divinum declaravit, mori quam vivere homini esse melius. Hic igitur, quanquam de Juone

refert, ipse tamen quasi relata oblitus in locum Junonis τὸν θεὸν substituit, ut ipsius opinionem cernere possimus apertam. Atque cum VII 129 dicit: „Si quis opinetur, a Neptuno terram concuti, si dicat, a Neptuno etiam hos Thessaliae terrae hiatus factos esse, sed ego contendo, terrae motu eos esse apertos“, nonne ipse quid suae esset sententiae ostendit? Neque etiam praetereundum est, quod et ipsum ad meam sententiam confirmandam facit, Herodotum, ubi res apud exterarum nationum et gentes factas commemorat, eas non ad harum deos auctores retulisse, sed omnia ad sui numinis divini revocasse potentiam III 153. 154. IV 79. Ac quantopere animus ejus religione unius tantum summi numinis sit imbutus, etiam id nobis documento esse possit, quod libenter de gentibus tradidit, a quibus duos tantum deos coli cognovit II 29. III 7.

Hoc igitur summum numen divinum, quod non uno nominat vocabulo, sed pluribus variisque, quoniam magna est varietas rerum, in quibus ejus vis ac potentia cernitur, nam θεῖον nominatur, ὁ θεός, ὁ δαίμων, τὸ δαιμόνιον, σὺν θεῷ, τὸ χροῶν, μοῖρα, πεπρωμένη, etiam verbis utitur εἶδε, ἐμελλε, ζῶναι, κατακεκρυμένον (I 8. 91. II 133. 161. III 159. 153. IV 92. VI 64. VII 116. 146. VIII 54. IX 93. 109.), hoc igitur numen id est, cui omnia in omnibus rebus subjecta sunt, quod omnes ubique res regit ac gubernat, quo nihil majus, nihil augustius ac potentius cogitari potest. Nam quod fato i. e. numine divino destinatum est, tantum abest, ut humanis viribus aut artibus avertatur (I 91. III 44. 65. VII 17. VIII 6. 13. IX 16.), ut ne deo quidem id defugere concessum sit (I 91.). Numinis divini arbitrio et nutu omnes res constituuntur atque administrantur, neque universo solum generi hominum, sed etiam singulis mortalibus ab eo consuli ac provideri solet atque ita, ut divinus quidam rerum ordo, qui fato destinatus est, conservetur atque ad exitum perducatur. Ad haec numinis consilia perficienda homines, aeterna fati lege constricti, vel inviti cogitare et agere coguntur ea, quae cum ejus rationibus conveniant, ut eo duce illi aut mentem aliquam voluntatemque suscipiant, aut mente occaecati quod fato placuit exsequantur. Sic Astyages ab ipso numine occaecatus ac mente privatus Harpagum iis copiis praefecit, quas contra Cyrum educeret, nam hunc evadere victorem necesse erat (I 45. 86. 87. 90. 129. 155. 162. II 120. 133. 139. 161. III 21. 30. 43. 119. IV 79. V 33. 92. VI 64. 135. VII. 10. 12. 16. IX 91.). Saepius etiam opem eadem ex causa numen tulisse narratur, veluti Graecis illud proelium apud Artemisium promontorium commissuris opitulatum est; nam ante proelium initum foeda tempestate orta non paucae Persarum naves perierunt, ut videlicet numero navium aequato Persae vincerentur VIII 6. 13. I 118. 121. 209. III 139. Nam in omnibus describendis rebus, quae et populis et singulis hominibus evenerunt, id potissimum secutus est Herodotus, ut omnium vitam et interitum, omnes fortunae vicissitudines numinis divini vi ac providentia accidisse ostenderet, quod tum maxime esset apertum, cum res populi ac domus alicujus in discrimen adducerentur et justitia rectusque rerum ordo servaretur. Sic Cyrus divinitus natus beneficio numinis divini conservatus est, ut imperium a Medis ad Persas translatum per omnem fere Asiam propagaret I 124. 126. Alia, quae eodem spectant, referuntur I 45. 53—55. 62. 87. 91. 118. 120. 155. 159. II 120. 133. 139. 161. III 77. 108. 142. IV 8. 79. 150—159. 164. V 92. VII 170. VIII 6—13. 94. 100. 101. IX 91. Praeterea numen divinum iis opitulatur, quorum consilia et conatus ei probentur et qui se ei in fidem tutelamque tradiderint, nam piis justisque hominibus, quorum ex animis omnis vanitas ac superbia exuta sit, vel summis in periculis adesse solet, ut Croeso, Arioni, aliis I 24. 89. 91. 117—122. 209. II 141. III 142. IV 164. Quare etiam supplicum et hospitem deus se profitetur esse defensorem (I 159. 160. II 113.), neque vota aut preces piorum hominum

repudiat (I 61. 86. 146. 165. II 141. III 65. 73. 75. IV 30.), atque etiam scelerum in homines et impietatum aliquam expiationem esse voluit. (I 88. 167. II 100. 134.) Et deum etiam compensare damnum eorum, qui injuria affecti sunt, ex iis cognoscimus, quae IX 93. 94 scripta legimus. Nam Euenius, quoniam somno oppressus vigiliam neglexisset, oculis privatus ab Apolloniatis, non solum maximis muneribus deo jubente ab iisdem affectus est, sed etiam deus ipse cumulum dignitatis addidit eumque divinatione donavit. — Sed etiam omnium maleficiorum vindicem et severissimum judicem existere deum, et iniquissimum quodque facinus gravissimis poenis ab eo vindicari, neque qui quid impie aut inique atque injuste fecerint, poenam non luere, cum omnibus vitae mortalis rationibus tum magnis illis gentium motibus Herodotus probare studet (II 128. V 36). Neque alia causa ductus nisi ut suam cuique improbitati poenam divinitus esse constitutam perspiceretur, tam diligens fuit in iis narrandis, quae ad hanc sententiam confirmandam argumenta afferri possent. Cujus rei cum tam multa legantur exempla et testimonia, ut uberius ea hic explicari aut ascribi non possint, satis esse credo iis, qui haec nostra legent, hos potissimum monstrasse locos I 19. 22. 34. 86. 87. 91. 130. 159. 167. II 111. 113. 120. III 126. IV 136. 205. V 56. 66. 72. 76. 79. 80. VI 72. 84. 86. VIII 36. 37. 67. 129. Neque etiam desunt loci, ubi demonstretur, non ipsum alicujus maleficii auctorem a numine divino vindicari, sed a nepotibus eas poenas expeti, ut quae majores commiserunt luenda sint posteris, aut non solum auctorem ipsum, sed etiam nepotes illius poenas pendere. Notum est, Pythiam Croeso, cum culpam omnium miseriarum, in quas incidisset, in ambiguitatem oraculi derivaret, respondisse, Gygis proavi crimen eum luisse. Gyges enim, postquam Candaulem, qui dei voluntate in perniciem abreptus erat, interfecit, quanquam regnum Mermnadarum Delphico oraculo confirmatum erat, tamen responsum a Lydis eorumque regibus neglectum tulerat, nepotem Gygis poenas olim daturum esse cf. I 8. 13. 91. IV 149. VII 137. 197. Sed non iis solum, qui fecerunt improba aut impia, numen divinum irascitur, sed etiam iis, quorum animi nimis se extulerunt et majora atque altiora, quam quae homines deceant, affectant. Quicumque nimis elate loquuntur neque humiliter demisseque sentiunt, calamitate reprimuntur poenisque ab ipso numine exagitantur. Nam deus quicquam humani sibi aequiparari non vult neque quemquam alium nisi se ipsum sinit elato esse animo aut magnum sibi videri (VII 10). Hinc factum est, ut Croesus, quippe qui fortunatissimus omnium sibi visus esset, gravissimis casibus dei voluntate affligeretur (I 34). Atque Apries, quem Herodotus tradidit tanta fuisse insolentia, ut ne deum quidem sibi eripere posse imperium putaret, ab Amasi regno vitaeque privatus est (II 169). Ea est divina vindicta (*πέμσις ἐκ θεοῦ* I 34), quae non ideo solum omnia peccata punit, ut homines praecipites in exitium ruant, sed majora etiam spectat, ut puniendo atque ulciscendo et hominibus optime et rectae rerum omnium moderationi consulat. Cum enim suo jure omnes injurias omnemque superbiam ulciscatur neque ullam spem impunitatis, quae maxima esse soleat peccandi illecebra, esse sinat, sed insolentiae et arrogantiae gravissimas exigat poenas, illud moneri homines vult, ut fugiant vitia, mores corrigant, modestiae ac temperantiae operam dent maximam. Ea de causa qui majores sibi spiritus sumunt et magis quam fas est se supra reliquos mortales tollunt, summus deus, omnia humana recte justaque temperans, calamitatibus gravioribus immissis coercere solet, ut modestiam discant neve unquam mortales se esse numinisque necessitati subjectos obliviscantur. Sed quanquam superbia quosunque complexa est caecos reddit caecosque in perniciem incurrere patitur, tamen numen divinum, quod est omnium rerum omniumque consiliorum auctor (I 71. III 21), ut quod vult perficiat, homines iis implicat casibus,

quibus eos succumbere necesse sit. Nomine *προφάσιος* Herodotum de iis necessitatis causis dicentem usum esse notum est (II 161. IV 79). — Cum hac divina vindicta conjuncta est numinis divini invidia (*φθόρος τοῦ θείου*), quam, quod plerisque, qui Herodoti libros interpretati sunt, dixisse miror, eandem cum vindicta esse nego. Invidum enim numen divinum atque turbulentum ideo appellatur, quod non patitur, ullum hominem perpetua aut magna fortuna frui (I 32. III 40), quod otium ac tranquillitatem humanae vitae morbis, miseriis, morte subita immissis perturbat (VII 46), quod invidia illud ductum majoribus copiis timorem injecit, ut a minoribus vincerentur (VII 10), denique quod quis modum ulciscendi transiit (IV 205). Etiam ab aliis scriptoribus numen divinum invidum vocatum est, ut ab Aeschylo, sed ut hic vim ac naturam invidiae divinae talem sibi fingit, ut ea homines, qui modestiae temperantiaeque obliviscantur, castigentur, ne quid sceleris fiat; ad animi enim superbiam reprimendam incommoda extrinsecus immittenda esse; ita Herodotus dicit numen divinum divitiis felicitatique, quae extra modum ab ipso constitutum prodeant, invidere, ut omnia humana ad inconstantiam et ad mediocritatem revocentur. Nam homines omnibus divitiis, fortunis, opibus affluentes cum difficillimum sit aequam servare mentem, cumque in quodvis maleficii genus facillime delabi possint (III 80), vel insontes de fortunae statu deiciuntur. Quanquam enim Croesus nonnulla impie fecerat ipseque postea se in culpa esse agnoscit (I 34. 91. 92.), quanquam ne Polycrates quidem ille Samius culpa fuit vacuus, sed quaedam nefaria commiserat atque nocturnum visum filiae per somnum oblatum neglexerat (III 39. 40. 44sq. 121sq.), tamen nusquam legimus, illorum casus ab Herodoto ad has causas relatos esse. Solam Pheretimam, quae ipsa extra modum humanae ultionis prodiisset, merito numinis invidiam subiisse misereque perisse narrat (IV 205) — Sic igitur invidiam *τοῦ θείου* positam esse in divina vindicta sive *νεμέσει* videmus et hanc rationem intercedere inter utramque, ut *νεμέσις* quodque maleficcium puniat omnemque animi superbiam reprimat, ne quis finium mortali naturae positorum immemor insolentia efferatur, at invidia opes bonaque majora quam quae miseris hominibus a numine concessa sint, evertat, unde omnes rerum humanarum mutationes ac vicissitudines divino consilio existere necesse sit. Quodsi quaeras, quid potissimum Herodotus in componendis rerum monumentis secutus sit, nihil aliud invenies nisi illud, ut dei numine ac providentia omnes res regi et ad numinis vim ac potentiam et vindictae et invidiae omnes rerum mutationes revocandas esse demonstraret. Inde factum esse contendit, ut Graeci, numero opibusque multo inferiores, numinis divini auxilio usi cum barbaris superbissimis ac divini humanique juris contemptoribus ita certarent, ut postremo superiores evaderent barbarique nimiae potentiae et nimiae superbiae omniumque injuriarum gravissimas luerent poenas, praeterea deum noluisse videri, unum hominem et Asiae et Europae imperium obtinere (I 1-8. 13. 34. 91. 130. 141. 189. IV 1. VI 44. VII 8-12. 16. 18. 20. 203. IX 112) Quae omnia mirabilia facinora Herodotus contemplatus quid mirum si coactus sit fateri numinis divini vim maximam esse, ejusque animus si summa religione imbutus sit, quemadmodum nostra aetate bella contra cupidissimos superbissimosque communis patriae hostes praeclare gesta pietatem in hominum animos revocarunt summique dei maximam agnoscere potentiam docuerunt. — Praeterea numinis divini vis ac potestas cernitur in rerum natura, quae ejus nutu et arbitrio regitur ac formatur. Nam quanquam nihil ejusmodi apud Herodotum legitur, unde conici liceat, etiam materiam, ex qua et in qua omnia sunt, a deo factam esse eum putasse, tamen non pauci sunt loci, qui declarant, omnes naturae res eum existimasse a numine divino repetendas omnesque ab eo ordinatas esse, unde etiam Pelasgi illi antiquissimi *θεῶν* nomen a *τιθέμεναι* derivassent

(II 52). Sic pluvias aquas a deo demitti dicit (II 10. 13. III 117. 125. IV 150. 151. 155) solemque divinitus defecisse (I 74), atque laudat dei sapientiam, qui omnes bestias, quae timido animo essent et esculentae, multiplices crebrosque fetus procreare, quae infenso et molestae, parum fecundas esse voluisset (III 108). Et Cnidos, cum lingulam terrae perfodere instituerent eaque res parum prospere dei consilio succederet, consulentes Pythia vetuit in eo opere perseverare, nam Jovem ipsum, si eam esse insulam voluisset, talem terrae formam effecturum fuisse I 174. — Etiam oraculis, vaticinationibus, somniis, prodigiis numen divinum, quod omnia constituat et provideat, quid fieri velit quaeque futura sint ostendit ac portendit, ut animos hominum aut confirmet aut terreat, aut incitet aut reflectat. Atque Herodotus, cum illa ad numinis vim declarandam et ad hominum consilia et capienda et mutanda et ad mores regendos vitamque recte instituendam plurimum valuisse sibi persuasisset, nunquam ea, praeterit investigare et commemorare, cf. I 7. 13. 46. 53. 55. 65 sqq. 91. 165. II. 18. 29. 139. 155. III 64. 57. IV 150—156. 203. V 90 sqq. VI 76 sqq. 86. 135. VII 111. 140—148. 220. VIII 36. 114. 134. IX 33. 93. Inter quae oracula illud est memoratu dignissimum, quod Glaucos Spartano Pythia edidit (VI 86). Glaucos enim, cum pecunias apud se depositas reddere noluisset et Apollinem consulisset, num liceret, pecunias fidei alicujus concreditas suppressere, Pythia respondit, idem esse deum tentare atque ipsum nefarie agere. Tota igitur Glaucos domus extirpata est, ut homines monerentur, non minus impium esse eum, qui improba voluisset, quam qui fecisset. Similia expressa videmus I 158. 159. Croesus, qui Apollinis oraculis se in fraudem ac miserias incidisse putabat, a Pythia de ea re doctus, se ipsum a culpa non vacuum esse cognovit (I 91). Obscure enim plerumque a deo, quae futura sint, indicantur, in quibus si qui erraverunt, sua ipsi conjectura peccarunt, neque minus horum res affliguntur quam qui ea prorsus neglexerunt, veluti Euboei, cum contempto oraculo neque exportavissent quicquam neque importavissent, maxima calamitate afficerentur necesse erat (VIII 20. IV 164.) Nam oraculorum et vatum responsa, a numine divino profecta, nunquam ad irritum cadere persuasum ei est, quam opinionem neque ambiguitas oraculorum (I 68. 75. V 91), neque fallaciae quaedam (IV 63. VI 66) labefactare aut convellere poterant. Profitetur enim VIII 77, de Bacide vate locutus, nolle se oraculis tanquam non veris adversari, cum rerum eventu ea comprobata esse videat, neque alios iis repugnare se pati. Neque id mirum nobis videri potest eum opinatum esse videntibus et Bacidem illum et alios vates et sortilegos et fatiloquos non ex se ipsis, sed divino instinctu afflatuque et divina concitatione animi incitatos futura praesensisse, praedixisse, interpretatos esse, quibus omnibus quasi administris numinis divini parendum esse censebat; qui enim propter negligentiam aut immodestiam non obsequerentur, eos in mala incidere necesse esse I 59. 62. 124. 167. II 49. 83. IV 13 sqq. 35. VII 6. 219. 221. VIII 6. 20. 77. 96. IX 34. 43. Atque eadem fere quae vaticinationum, somniorum est ratio. Nam animis hominum, maxime eorum, quorum res in aliquo discrimine versantur, a numine divino in somnis visa offeruntur, ut numen significans quae immineant, eos moneat aut absterreat, incitet aut deprimat, cujus cogitationem si qui assequi non potuerint aut non recte voluntatem ejus interpretati sint, eos suis ipsos rebus valde nocuisse docet, nam divinam vim esse effectricem etiam somniorum I 34. 107 sq. 120 sqq. 209 sq. II 139. 141. III 30. 64 sq. 124 sq. 149. V 56. VI 107. 131. VII 12 sqq. 16. 18 sqq. Fuisse etiam fana, in quibus quidam somniandi causa incubarent, quod vera quietis essent oracula, ex iis intellegi potest, quae VIII 134 tradidit. Praeterea etiam signorum et ostentorum maximam esse vim ad homines de voluntate numinis deque rebus futuris docendos putavit ita ut certis rebus certa signa praecurrerent, alia in extis,

alia in avibus, alia in fulguribus, alia in ostentis; multis enim signis declarari res, quae divinitus fierent (IX 100 sq.), et solere deum, si cui urbi aut populo magna mala imminerent, ea magnis ostentis portendere (VI 27.). Plurima igitur ostenta, omina, portenta, quae multum ad hominum animos excitandos valerent, relata credidit (I 23. 59. 78. 87. 159. 167. 175. II 10. 46. 82. III 76. 86. 153. IV 64. 79. 203. V 98. VI 27. 82. 98. 107. 117. VIII 37. 57 sqq. 219 sq. VIII 20. 37 sq. 41. 64 sq. IX 91.) Verumtamen aliis miris et portentosis rebus certam fidem derogandam esse censuit, veluti II 57 columbas, quae Thebis Aegyptiis in Libyam et Dodonam volasse dicerentur, humana voce locutas esse negavit.

IV.

De hominum natura ac condicione.

Ut Herodotum Persarum molem ingentem de gradu dejectam esse divina ope et graecarum rerum felicitatem omnibus viribus excitatis magis magisque crescere gaudentem cognoscimus, ita saepissime querentem, quod omnia mortalia fluxa sint ac debilia nihilque sit tam stabile, quod non evertat aliquando mutatus rerum humanarum ordo, quod hominibus, cuique fortunae vicissitudini obnoxiiis, perpetua prosperitate uti non liceat, ut mors, quae omnibus laboribus ac miseriis liberet, optabilior quam vita esse videatur (I 5. 31 sq. 86 V 4. VII 45—49. 203). Atque illa laetitia et haec quasi divina tristitia, quam ex imbecillitate fragilitateque omnium humanarum rerum conceperat, in causa sunt, quod animum ejus ea modestia, verecundia, pietate in summum numen divinum, cujus providentia omnes res regerentur, imbutum esse videmus, ut caveret intemperantiam et fato numinis adversari nefas haberet. Nam ex ipsa rerum contemplatione et cognitione factum est, ut in eam sententiam adduceretur, ut divina quadam lege hominum fortunam necesse esse crederet vicissitudine variari, ne quis insolentius se efferret, sed omnia ad mediocritatem revocarentur (I 5. 32. 207. III 40. VII 10. 49) Quem modum ordinemque divinitus impositum et eos negligere ac perturbare putat, qui nimias divitias opesque consecuti sint (III 40. VII 203. 233. VIII 105), et eos, qui animis aliquam superbiam, mortali homini non concessam, sibi sumant neque agnoscant terminos, quibus hominum naturam cogitationesque divina providentia circumscripserit (I 34. IV 91. VII 10.). Itaque super modum naturamque hominis esse ei videtur, si quis sua sponte de diis aliquid certi statuere aut fingere velit, cum omnes pariter nihil certi ipsi ex se sciant. Atque de hac Herodoti sententia nobis disserentibus maximi momenti putanda sunt illa verba, quae II 3 leguntur. Ubi, postquam professus est, quibus potissimum auctoribus in pervestigandis Aegyptiorum rebus usus esset, quae de diis acceperit tradita a sacerdotibus, ea se in vulgus editurum negat: *τὰ μὲν γὰρ θεῶν ἀπηρημάτων, οἷα ἤκουον, οὐκ εἰμὶ πρόθυμος ἐξηγέσθαι, ἔξω ἢ τὰ οὐνόματα αὐτῶν μόνον, νομίζων πάντας ἀνθρώπους ἴσον περὶ αὐτῶν ἐπίσταςθαι. τὰ δ' ἂν ἐπιμνησθῆω αὐτῶν, ὑπὸ τοῦ λόγου ἐξαναγκασόμενος ἐπιμνησθήσομαι.* Quae quidem verba quam obscura sint quamque difficiles habeant explicatus vel inde intellegi potest, quod doctissimi quique homines ad ea enarranda accesserunt neque ullus eorum consensus est neque valuerunt ad omnem dubitationem tollendam. Ac Rungius quidem, vir doctus, cujus commentatio inscripta est: He-

rodots Verhältniss zum griech. Volksgl. Hildesh. 1856, quanquam rectissime cum Odofr. Muelero contra Lobeckium eosque qui eum secuti sunt disputavit, tamen quod verba *ἔξω ἢ τὰ οὐνόματα αὐτῶν μόνον* interpunctione sublata cum iis quae sequuntur *νομίζων* etc. conjungenda esse putat, eam ipsius Herodoti sententiam esse nemini persuadeat. Itaque recte fecit Nitschius (Herodotea, Duisburg 1856), quod ei rationi adversatus ut nec necessariae et contortiori etiam illud pronomen *αὐτῶν* intra paucorum verborum ambitum iteratum atque ad idem relatum ita abundare contendit, ut ista verborum colligatio Herodoti ingenio non esset vindicanda. Herodotus enim hoc loco profitetur, se ex narrationibus a sacerdotibus communicatis sacra ac fabulas, quas de diis relatas accepisset, nolle exponere, nam omnes homines aequè nihil certi explorative de diis eorumque actionibus (*πρήγμασι*) scire; nihil nisi nomina deorum se velle prodere. In illis verbis pronomen *αὐτῶν* (*τὰ οὐνόματα αὐτῶν περὶ αὐτῶν*) his positum ad eadem *τὰ θεῖα* referendum est, quibus est res divinas et deos ipsos significari posse constat. De significatione, quam hoc loco in vocabulo *ἴσον* inesse censemus, comparandus est locus VIII 79 *λέγω δέ τοι ὅτι ἴσον ἐστὶ πολλά τε καὶ ὀλίγα λέγειν* et Soph. Oed. Tyr. 1018. Verba autem *ἔξω ἢ* et hic et VII 228 posita idem valere quod Atticorum *πλήν*, non commemorassem, nisi Lobeckium legissem illa verba ita interpretatum esse, ut diceret: „Herodotum de illis rebus nomine tenus nec amplius dicturum esse, cum deorum nomina in sacris tradita tantum abfuisset ut in publicum ederet, ut nihil magis tectum reconditumque habuisset“. Sed nomina non tacuit nisi nomen Osiridis et iis quidem locis (II 61. 86. 132. 170), quibus tectius atque obscurius de hujus dei laceratione aut alia re dixit, quae ad divini numinis praecipuam ac singularem dignitatem minus decorae viderentur. Similiter eorum hominum nomina verecundia quadam prohibitus tacuit, quorum res ei minus probatae erant, veluti nomen ejus, qui falsam *Λακεδαιμονίων* inscriptionem fecit (I 51), et ejus, qui pecuniam intervertit (IV 43), et eorum, qui de animorum migratione exposuerunt (II 123.) Sed fuerunt atque etiam nunc sunt, qui et hic et illis locis Herodotum, quod Aegyptiis mysteriis initiatus esset, tacenda tacuisse contenderint. At nullum esse locum, quo ea suspicio comprobari posset, cum alii, tum Nitschius l. l. satis demonstrasse mihi videntur. Nam si initiatus esset neque quicquam arcanorum enuntiare ei licuisset, num credamus, Herodotum, hominem religiosissimum, ab animo suo impetratum fuisse, ut vel ipsa re postulante et narratione cogente (*ὑπὸ τοῦ λόγου ἀναγκάζομενος* II 3. 65) illud prodidisset? Neque etiam probabile est, per leges Aegyptiorum sacerdotum atque instituta fieri potuisse, ut homines alienigenae, quamvis magno officio conjuncti, sacris publice receptis interessent. An vero ab Atheniensibus, quae civitas humanitatis laude maxime florebat, exterae nationes omnes arcanis sacris prohibebantur, ab Aegyptiorum sacerdotibus, ab exterarum gentium usu atque commercio alienis, exclusas illas non arbitramur? Quare nihil relinquitur nisi ut statuamus, duas potissimum Herodoto fuisse tacendi causas, aut eum numinis divini sanctitate et religione imbutum committere noluisse, ut quae a sacerdotibus in sacris tradita ad sanctam augustamque dei naturam minus decora viderentur, in vulgus ederet, aut eum de reticentia sacerdotibus se accommodasse idque his, non suae religioni concessisse (*ἰσοὶ λόγοι* II 46—48). Nam meminerimus, eum ea temperantia atque indulgentia fuisse, ut, cum omnibus hominibus suae cuique leges suaeque cuique instituta, a majoribus tradita, quamvis prava et turpia, pulcherrima esse viderentur, summae esse dementiae crederet, si quis religiosos ritus aliorum populorum ludibrio haberet (I 140. II 44. 50. 123. 146. III 16. 29. 38. 82. IV 95. 96.). Et Herodotum illa Aegyptiorum commenta non vera habuisse, ipse indicat, cum de

iis verbo *ἔεργίζεσθαι* saepius utatur II 4. 64. 82. 123. 156. III 16. 33. Neque enim sciri quicquam posse putat de rebus divinis nisi ab ipso numine divino sive oraculis, portentis, prodigiis aliisque rebus tradita, sive quae hominum animis et omni rerum gestarum memoriae ab illo impressa omnibus perspicacioribus hominibus aperta essent (IX 100). Itaque et veniam sibi petendam esse existimat, si quando non suspicans, sed quasi arrogans et sua mente aliquid certius protulerit (II 45. IX 65), neque quicquam certi de animorum immortalitate statuit. Quanquam enim de ea doctrina memoriae prodidit (II 123. IV 93—96), nunquam tamen, scilicet cum nec re expertus neque oraculorum responsis doctus esset, quid ipse de ea re sentiret, indicavit. Neque etiam nobis ex eo quaerentibus, num quid graeca mysteria de ea re oculis auribusque initiatorum impertierint, usquam respondet; nam Samothraciis mysteriis eum initiatum fuisse, ex iis, quae II 51 dixit, conici licet.

Jam vero cum omnia necessitate fatoque numinis divini fieri sibi persuaserit, inde sequitur, ut mentem hominis voluntate libera spoliata necessitate fati devinctam esse opinatus sit neque homines in culpa male factorum ponendos esse. Atque ea in opinione eum fuisse, permultis exemplis demonstrari posse videtur. Xerxes poenas luebat injuriarum, quae Graecis illatae erant, quarum auctor fuerat Croesus (I 5 sqq.) quasque facere perrexit Cyrus (I 141 sqq.), cum ulaveral Dareus (I 91. 130. 205, sqq. V 97. VI 44. 119.) Ac Xerxes, quanquam initio Graecos ulcisci noluit, tamen a Mardonio (VII 5 sqq.) aliisque causis, ut id faceret, impulsus est. Postea regi jam obtemperanti Artabani consiliis, ne bellum Graeciae inferret, per somnum species identidem oblata est, quae exhortationibus atque minis animam regis ad bellum persequendum revocabat atque excitabat, eademque ipsi Artabano adfuit dormienti eumque admonuit, ne id quod fieri necesse esset dissuaderet. Itaque cum fatale esset, barbarorum res extenuari, Graecorum quaque ratione augeri atque ornari, divinitus illi ad rem suscipiendam atque in fraudem inducti sunt (VII 10—18. VIII 12 sqq.). Plura ejusdem generis exempla vide I 8. 13. 45. 85 sqq. 120. 127. 159. 162. II 120. 133. 139. 161. III 50. 125. 142. IV 155. sqq. V 92 VI 134—36. VII 210 sqq. IX 35. Veruntamen humani quoque ingenii vires plurimum valere hominesque ipsos numinis consilia libero arbitrio exsequi et in rebus gerendis quicquid a fato imminet expectantes strenuos oportere ac sapientes se praebere docet II 130. III 36. 154. 160. IV 136. VI. 34—36. VII 10. 49. 139—143, ipsiusque Herodoti sensum exprimunt, quae Croesum loquentem facit I 207: Quae ipse, inquit ille, passus sum, quamvis tristissima, prudentiorem me reddiderunt. Itaque Athenienses secundum deos profitetur (VII 139) Graeciam liberasse ac Themistoclis maxime sapientia factum esse (VII 143), ut navali victoria parta Persarum impetus propulsarentur, cum sua illi sponte ad numinis divini voluntatem prudenter ac strenue egissent. Quanquam primo (VII 164) de Arcesilao dubitavit, utrum sponte ac voluntarius ille an imprudens oraculi sensum non assecutus in perniciem irruisset, tamen paulo post (165) libere profitetur, illum ipsum mali sui auctorem fuisse. Qui enim sua ratione ac intelligentia non usi oraculorum responsis aut non pareant, ut Euboei (VII 20), aut perperam ea interpretentur, ut Croesus (I 91), ipsorum culpa poenam eos non effugere demonstrat, nam pietatem prudentiae ac consili expertem esse non oportere cf I 63. 66—68. 91. II 139. V 1. Quare cum in primis Graecis ratione et sapientia utendum esset, Herodotum saepissime superstitiones paene aniles ac poetarum aliorumque opiniones fictas atque vanas aversatum cum ad divinas tum ad humanas res suum acre ingenium atque iudicium adhibuisse videmus. Itaque negat, quae de insulis in mari aut lacu fluitantibus audierit, vera esse (II 156), negat, fabulosum illud bestiarum genus, quod capite carens os oculosque pectori affixos habere diceretur, unquam fuisse

(IV 191), negat, quae de phoenice ave ejusque cura patris sepeliendi narrentur, sibi esse credibilia (II 73). Inde etiam factum est, ut diligentissime causas, quae de Nilo aestate crescente, hieme decrescente afferrentur, examinaverit illisque refutatis suas addiderit (II 19 sqq. 24 sqq.). Inde porro ei ortae sunt illae vel dubitationes vel refutationes, cum aliquid et a poetis et ab aliis dicitur, quod aut numinis divini dignitati aut rerum naturae aut rationi contrarium sit neque historiae fide comprobari possit. Cujus rei testes sunt cum alii loci, tum hi: I 60. 75. 85. 95. 122. 137. 146. 181. 214. II 23. 45. 56 sqq. 64. 120—123. 131. III 28—30. 37. 64. 115 sq. IV 36. 95 sq. 105. 109. 173. 179. 187. 195. V 86. VII 16. 129. 189. 191. 220. VIII 8. —

Haec autem rationis vis, qua cum omnibus hominibus, tum maxime Graecis utendum sit, etiam, cum ea potissimum doceat, quid faciendum, quid sit fugiendum, in virtutibus cernitur. Plerasque enim virtutes, quas Herodotus omnibus colendas atque exercendas praedicat, eas esse cognoscimus, quae e ratione, consilio, prudentia profectae sint. Atque sapientem (*σοφόν*) quidem ab eo nominari videmus eum, quem vel prudentiam ac calliditatem ad aliquam rem adhibere, vel intellegentia insignem vel rerum experientia atque usu praestantem esse cognoverit cf. I 30. 96. 125. II 172. IV 76. V 50. VII 23. 102. 194. VIII 110. IX 62. Quam ad sapientiam etiam *ἀρετήν* referendam esse, ea docent, quae Demaratum de virtute Graecorum prudentia et severis legibus ascita disserentem fecit VII 102. Cum hac sapientia porro conjunctae sunt moderatio et temperantia, ex quibus cum aliae efflorescunt virtutes, quae cuique et in deum et in homines servandae sunt, tum pietas et justitia. Moderati enim ac temperantis esse dicit Herodotus mentis suae compotem esse omnesque cupiditates coercere (cf. III 15. 35. 36. VII 13. 16. 18. 35. IX 55.), intemperantiam esse matrem omnium animi perturbationum, in quas qui incidant, fieri non posse, quin ii pariter et in deos et in homines peccent, ut nonnunquam etiam insanire ac furere coeperint. Cujus insaniae causam attulit vel corporis aliquem morbum (III 35), vel impietatem, quam gravissima deus vellet affici poena (VII 75).

Primam vero et quasi fundamentum omnium virtutum existimat esse justitiam (*δικαιοσύνην*), praesertim cum in ea etiam pietas posita sit atque ea talis esse putetur, quae prudentiae et temperantiae quasi vim suam praebet, quippe qua una efficiatur, ut istae virtutes possint esse efficaces et salutare. Et quanti illam fecerit, vel inde cognosci licet, quod suam esse sententiam prae se tulit, injustum quodque hominum facinus a numine divino gravissime vindicari cf. II 120. VI 86. Sed justitiae vim et praestantiam latius patere arbitratus, ita ut ea in omni hominum vita tum privata tum publica et communi cerni deberet, justum hominem eum appellabat, qui neque ipse pecunia corrumpi posset, et alios ne corrumpere prohiberet (III 148), qui concreditas pecunias non in suam rem averteret (VII 164) neque fidem alicui datam unquam falleret (III 135. V 24. 106.) Neque tamen illatas injurias ulcisci (*τιμωρεῖν* et *τιμωρεῖσθαι*) ei nefas est, sed justissimi esse putat, par pari referre atque lacessitum persequi injurias, ut is reprehendendus esse videatur, qui id facere praetermittat cf. II 169. VII 11, et praeterea conferendi sunt hi loci: I 10. 27. 35. 45. 73. sqq. 103. 115. 118. 123. 128 sq. II 100. 169. III 14 sq. 32. 118 sqq. 126 sqq. IV 43. V 97. VI 135. 168. VII 8. 11. 101. 106. 213. IX 78. Sed est, ut in omnibus aliis rebus, sic etiam in ulciscendo modus a deo hominibus constitutus, quam qui transeat et nimia ira incensus ad immanitatem impellatur, is improbus est et invidiam poenamque numinis divini subit. Eam fuisse causam, cur Pheretima, Cyrenaeorum regina, misere periisset (IV 205), jam supra commemoravimus. Vide etiam II 162. Neque vero injuriae in fraude et vi faciendae

et facta solum cernuntur (I 130), sed etiam injustum appellat et eum, qui maleficium reddat ei, a quo beneficium acceperit (II 119), et eum, qui de aliquo absente detrahendi causa de fama et existimatione maledice contumelioseque dicat (VII 10, 7.), et eum, qui alios despiciat et sibi quid sumat superbius ac licentius quam ut probari possit (VI 87. 173.). Cum igitur justitia suum cuique tribuat et hominibus et diis, ei adjuncta est et aequitas et pietas et religio, quae nihil aliud sit nisi justitia erga deos (III 141), quare justum facinus etiam id nominari videmus, quod ad religionem deosque pertineat. Cleomeni enim non justum esse videbatur prius in urbem Argos impetum facere, quam sacris operatus exploratum haberet, utrum deus sibi illam traderet, an impedimento esset cf. VI 82. IV 186. Sunt vero etiam aequitatis (*δσιότητος*) res, quae, ut religioni ac justitiae animis hominum insitae satisfiat, geruntur, cujus virtutis officia, etiamsi non legibus sancta sint, tamen adversus omnes homines et vivos et mortuos, et propinquos et hospites maximeque adversus supplices sanctissime censet esse servanda cf. I 31. 73. 89. 130. 157. sqq. 208. II 80. 113. 115—19. III 16. 19. 50. 65. 120. VI 81. 108. VII 85. 237. VIII 22. 105. 109. 126. IX 76. 79. Atque etiam grati erga deos hominesque animi virtutem colendam esse justum aequumque putabat neque unquam, si quid ab ejus aequitatis studiosis factum audierat, commemorare omisit, veluti tradidit, quam memor Dareus beneficiorum cum ab aliis, tum ab Histiaeo acceptorum fuisset cf. III 88. 129. sqq. 139. sqq. 160. IV 97. 137. V 11. 28. sqq. Alia exempla vide I 14. 24. 25. 31. II 159.

Sed justitia non adversus singulos solum homines utendum esse, sed eam etiam communem omnium patriam totamque rempublicam spectare debere, probant ea, quae de Cadmo illo Coe memoriae tradidit, qui tyrannidem a patre acceptam sua sponte nulla calamitate imminente propter solam justitiam deposuisset atque civibus imperium reddidisset (VII 164). Tyrannidem enim, omnium libertati inimicam, cum cives aequo inter se jure vivere non pateretur, injustissimam, sed justissimos esse eos, qui omnes vires ad liberandam patriam contenderent, docuit III 21. 80. sq. 142. V 66. 78. 90—92. VI 43. VII 51. 135. Quare fortitudinem cum ea justitia conjunctam atque patriae libertatisque amorem ab eo summis laudibus elata esse videmus cf. I 95. 169. 174. 176. III 69. V 42. VII 11. 103. VIII 68. 142—144. IX 7. 37. — Cum jam antiquitus ea inventa constitutaque sint, quae cuique genti justa atque aequa pro cujusque captu videantur, ea, quoniam religionis locum diuturno usu obtinuerint, si non omnia probanda, tamen non irridenda esse censet III 38, quo cum loco conferendi sunt I 8. 10. 99. 119. 135. 196. 199. 203. II 35. sqq. 80. Neque etiam, quanquam amorem et amicitiam minus saepe quam justitiam praedicavit, tamen desunt loci, unde perspicui possit, quanti amicitiam aestimaverit, veluti V 24 contendit, amicum virum prudentia et benevolentia probatum maximas esse divitias.

Jam vero quaecunque justitiae et temperantiae ac religioni contraria essent, omnia vitia et scelera quam maxime vituperanda esse et fugienda Herodotum censuisse, vix opus est affirmare, atque ut graviter illa punienda essent, ita etiam animos eorum, qui aliquid impie scelerateque commisissent, perterreri et vexari dixit I 42. 45. Sed cum perjuros homines in numero improbissimorum habeat atque jusjurandum, quoniam religiosa ea affirmatio sit, nequaquam violandum esse putet (cf. I 79. 74. 176. III 19. IV 154. 201. VI 62. 86.), tamen mendacio fallere atque a vero recedere publicae salutis causa non turpe habet, idque laudi potius quam vituperationi esse. Itaque Aristagoram non dubitavit reprehendere, quod Cleomeni verum dixisset, trium mensium iter esse a mari ad regem (V 50.), quae cum sententia conferenda sunt ea verba, quae Dareum III 72 dicentem fecit: Ubi mendacium dicendum

est, dicatur. Sed id magnopere attendas velim, ei soli licere Herodotum putasse salubri mendacio aliquem in fraudem inducere, qui non jurasset, qui nulla jurisjurandi religione obstrictus esset. Nam ex iis, quae jam supra demonstravimus, non dubium esse videtur, quin Herodoto, si quis deo teste juratus homines deumque falleret, eum numen divinum habere iratum gravissimeque puniri persuasum fuerit cf. II 120. — Atque ut illae poenae quasi quaedam placamina coelestis irae putanda sunt, ita expiari posse sceleratos homines quibusdam piacularibus sacrificiis aliisque lustralibus rebus factis vetus erat opinio vetusque mos, etiam oraculorum responsis confirmatus, veluti Agyllaei, cum suum delictum expiaturi Delphos sciscitatum, quomodo a miseriis liberari possent, misissent, et justa persolvere et ludos quosdam instituere a Pythia jussi sunt cf. I. 167. Etiam Adrastus, fratre incaute necato, a Croeso, ad quem supplex confugerat, pro illius aetatis more expiatur. cf. I 35. Expiandi autem rationem Lydis et Graecis eandem fuisse, ibidem Herodotus confirmat; alia piacularia atque lustrationes commemorat I 64. II 100. 134. VI 139.

His omnibus rebus expositis neminem esse credo qui Herodotum in historia conscribenda id potissimum secutum esse neget, ut omnium humanarum rerum imbecillitatem ac vicissitudinem et numinis divini summam potentiam ac vim in omnibus quae ubique essent rebus conspicuam ostenderet, omnibusque modestiam atque justitiam et erga homines et erga deos quam maxime commendaret.

Dr. Bredow.

Schulnachrichten

über das

B u g e n h a g e n s c h e G y m n a s i u m von Ostern 1871 bis dahin 1872.

I. L e h r p l a n.

Prima. Ordinarius: Perthes.

Cursus zweijährig.

Religion 2 St. Glaubenslehre. (S. u. W.). Schulz jun.

Deutsch 3 St. Literaturgeschichte vom 15. Jahrhundert bis auf Göthe. (S. u. W.). Logik.

Mündliche Vorträge im Anschluss an den Unterricht und schriftliche Aufsätze, zu denen folgende Themata gegeben wurden: